

1913

39 tur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem. Alii vero per pretium canis intelligunt mercedem pro conductione canis ad generandum sive admillarii datam, quod ex *Josepho* affert *Alphons. Tostat. in d. vers. 19. cap. 23. pag. 123. lit. A.* Aliis autem idem denotat pretium, quod pro redemptione primogeniti canis datur; in quam opinionem quoque inclinare ipse *Alphons. Tostat.* videtur, quantumvis valde lubricam: cum secundum legem Mosaicam nullius animalis domestici impuri primogenitum præterquam
40 solius asini redimendum fuerit *Exod. 15.* Hinc alii, quorum sententia verior videtur, per pretium canis quæstum Cynædi sive pueri meritorii intelligunt, cujus scelus uti nefandissimum est, sic etiam quæstus inde profectus jure abominabilis censetur. Canes vocantur autem nebulones isti propter impudentiam turpissimam & horrendam lasciviam, quodq; non vereantur ejusmodi infamem injuriam, ut loquitur *Imp. in §. ult. l. de his qui sui sunt vel alien. Jur. in corpus suum admittere. conf. Apocal. 22. vers. 15. junct. Rom. 1. vers. 24. & 27.* Et huic sententiæ accedunt *Piscator in schol. in Deut. cap. 23. pag. 242. & in German. ibid. pag. 515.* ubi istum nomine eines Schandbuben compellat. *Franc. Jun. Analyt. Explicat. Deut. pag. 172 seq. it. B. Dn. Gerbardus, Glassius, Quistorpius ibid. aliique.*

41 Eamque assertam quæstus meretricii turpitudinem non tollunt ea, quæ *Ulpian. in L. idem 4. §. 3. ff. d. condict. ob turp. caus.* affert: nimirum quod turpiter quidem faciat meretrix, quod sit meretrix: Non autem turpiter accipiat, cum sit meretrix. In quibus verbis *JCtus* negat, à turpitudine vitæ meretriciæ inferendum esse ad quæstus meretricii turpitudinem. Quæ sententia cum sanæ rationi repugnare videatur, à quibusdam non modo indubium vocatur, sed plane refellitur ac improbatur. *vid. Franc. Sarmientus 6. Select. interpret. 8.* Alii vero eam indifferenter admittunt, & incaute defensum eunt, ut præter *Dd. moralium Pontificios* plurimi ex *JCtis conf. Petr. Molignat. de Retent. quest. 318. Paul. de Castro ad tit. ff. de condict. ob turp. ca. num. 8. Bald. ad L. 4. ff. eod. Hippol. Riminald. l. 3. Cas. 274. num. 66. Molin.*

de